



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Caput VIII. De Suscipientibus, vulgo Patrinis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



Ibid. verbo.  
¶ intelligat.

preferat indumentum. Tegitur enim post sacram unctionem caput ejus mystico velamine, ut intelligat se diademate regni & sacerdotali dignitate potiri. Quia ut ait Glossa; Quilibet fidelis rex debet esse & sacerdos: Rex, quia se & alios virtutibus regere debet: Sacerdos, quia cor contritum & humiliatum, quod est vera oblatio, id est, se debet offerre Deo.

Quaest. 19. Quid significat cereus accensus, qui traditur baptizato, aut ejus Patrino?

S. Carol. De  
Ceremon. que  
peracto Bap-  
tismi servantur.  
Act. p. 4.

Resp. Traditur demum, ut ait sanctus Carolus, baptizato in manum cereus ardens; quo cereo significantur tres Theologicae virtutes, quae ipsi in hoc Sacramento infunduntur, Fides in lumine, Charitas in calore, spes in cerei recta altitudine, qua sursum ascendit, ut spes nostra ad coelos usque excitetur atque erigatur. Id praeterea quod Baptismo nobis fit communicatio lucis, & depulsio tenebrarum: ob eamque causam Baptismus Sacramentum illuminationis, & baptizati ii quidem illuminati à Patribus dicuntur.

## CAPUT VIII.

De suscipientibus, vulgò Patrinis.

Quaest. I. QUARE Ecclesia requirit Patrinos, qui puerum in Baptismo suscipiant?

Resp. Ut pro puero fidem profiteantur, ut ejus nomine promittant, illum fideliter observaturum, quod promittit. Vos ante omnia, inquit sanctus Augustinus relatus in Canone, tam mulieres quam viros qui filios in Baptismo suscepistis moneo, ut vos cognoscatis fide-

Can. Vos ante.  
De Consecr.  
dist. 41



De Sacram. Baptismi. Cap. VIII. 103

jussores apud Deum extitisse pro illis quos visi estis de sacro fonte suscipere: ideoque eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant.

Rationem affert Divus Thomas cum ait.

Dicendum quod spiritualis regeneratio qua fit per Baptismum assimilatur quodammodo generationi carnali. In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice & pedagogo. Unde & in spirituali generatione Baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis & pedagogi, informando & instruendo eum quasi novitium in Fide de his quae pertinent ad fidem & vitam Christianam, ad quod Praelati Ecclesiae vacare non possunt, circa communem curam populi occupati. Parvuli enim & novitii indigent speciali cura praeter communem: & ideo requiritur quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte quasi in suam instructionem & tutelam. Et hoc est quod Dionysius dicit, ult. cap. Eccles. Hierarch. Divinis nostris ducibus ad mentem venit (id est Apostolis) & visum est suscipere infantes secundum istum sanctum modum quod naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in divinis pedagogo, & reliquum sub ipso puer ageret sicut sub divino Patre & salvationis sancta susceptore.

Quaest. 2. Quinam admittendi non sunt in Paternos, aut susceptores?

Resp. Ex sancto Carolo, qui ait. Id cura sit Parochis & reliquis animarum Curatoribus, ut quos Compadres ita rudes esse animadverterint, qui fidei Symbolum, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ignorent, eos hoc munus obire ne patiantur. Est enim ab omni ratione alienum, ut qui se Deo fidejussores constituunt, ii res illas nesciant, quibus

D. Tho. 3. p. q. 67. art. 7. in corp.

S. Carol. A. A. p. 2. in Decretis editis in 2. Synodo Decreto 15.



se alios instructuros esse sanctè pollicentur. Denique verisimile est, ut qui in seipsis hoc neglexerint, idque culpa admiserint, negligentiores etiam in eo sint, ut alii iis rebus instructiores fiant, quarum ipsi rudes omnino sunt.

Eodem ducitur motivo Rituale Romanum, cum ait. *Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos Infideles, aut Hæreticos, non publicè excommunicatos aut interdictos, non publicè criminosos, aut infames, nec præterea qui sana mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta Fidei. Hac enim Patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportunè docere tenentur.*

*Quest. 3. Clerici sæculares aut regulares possunt ne esse Patrini?*

*Resp. Clerici regulares non possunt, ut patet ex Can. Non licet Abbati vel Monacho de Baptismo suscipere filios, vel commatres habere.*

Et ex Rituale Romano, ubi sic legitur. *Præterea ad munus Patrini admitti non debent Monachi vel Sanctimoniales, neque alii cuiusvis Ordinis Regulares à seculo segregati.*

Clerici etiam sæculares non debent illud munus obire, maximè si sint sacris Ordinibus insigniti, cum illud illis prohibitum fuerit à multis Conciliis. Concilium Aquense anno 1585. De Baptismo. *Compater ne adhibeatur Regularis aliquis, nec Clericus sæcularis sacris initiatus aut Beneficium Ecclesiasticum obtinens.* Et sanctus Carolus in secunda Synodo, Decreto 17. ait. *Clericis qui sacris Ordinibus initiati sunt, infantem de sacro Baptismi fonte suscipere vetitum sit.*

Ritual Roman. De Sacram. Baptif. tit. De Patrini.

Can. Non licet. De Conf. dist. 4.

Ritual. Rom. tit. De Patrini.



*De Sacram. Baptismi. Cap. VIII. 105*

*Quaest. 4. In quam aetate esse debent Patrimi?*

*Resp. Ut praescribitur in Rituali Romano his verbis. Hos autem Patrimos saltem in aetate pubertatis ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maxime convenit. Id est, anno 14. completo pro Patrimis, & 12. pro Matrimis.*

Ritual, Rom.

*Quaest. 5. Quare requiritur ut Patrimus confirmatus fuerit?*

*Resp. Rationem affert sanctus Antoninus, dum ait. Nascitur homo in esse spirituali per Baptismum, & vivit utique vita gratiae, sed adhuc est quasi debilis in vita spirituali: sed per Confirmationem vel Chrismationem confirmatur quasi perveniens ad aetatem robustam ut possit bellare, & fortia agere. Unde ut debilis accedens baptizandus ad hoc debet sustentari ab alio, qui tamen debet esse Chrismatus. Nam debilis non est idoneus ad sustentandum debilem, ne ambo simul cadant.*

S. Ant. 3. p. tit. 14. c. 30. S. ult.

*Quaest. 6. Quotnam esse debent, qui puerum de fonte suscipiant Patrimi aut Matrimae?*

*Resp. Numerum praefixit Concilium Tridentinum his verbis: Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, & a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum, unus & una de Baptismo suscipiant.*

Sess. 24. De Refor. c. 20.

*Quaest. 7. In quo consistit cognatio, quae contrahitur in Baptismo?*

*Resp. Ut ait Bonifacius VIII. relatus in Canone: Nedium inter baptizatum & illum qui eum suscepit de Baptismo, ac inter eundem baptizatum & suscipientis filios & uxorem ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem: imò etiam inter suscipientem patremque*

Can. Nedium. De cognat. spirit. in sex. 10.



baptizati & matrem, cognationem spiritua-  
lem in Baptismo contrahi jure constat. Qua  
cognatio & contrahendum matrimonium im-  
pedit, & dirimit post contractum, & eadem  
quae de suscipiente dicta sunt, etiam de bap-  
tizante censenda. Nota, ait Divus Antoninus,  
quod Laicus qui baptizavit aliquem, siue in  
causa necessitatis, siue extra, non potest con-  
trahere cum illa quam baptizavit.

S. Ant. p. 3.  
tit. 1. cap. 15.  
§. 3.

D. Tho. in  
suppl. 3. p. 9.  
56. art. 1. in  
corp.

Hic autem observandum est cum sancto  
Thoma, quod quando asseruimus cum Con-  
cilio Tridentino per cognationem spiritua-  
lem impediri matrimonium, distinguendum est.  
Sicut carnalis cognatio, ait Divus Thomas,  
impedit matrimonium; ita spiritualis ex Ec-  
clesia statuto. Tamen distinguendum est de  
spirituali cognatione, quia aut praecessit ma-  
trimonium, aut sequitur: si praecessit, impe-  
dit contrahendum, & dirimit contractum: si  
sequitur, tunc non dirimit vinculum matri-  
monii. Sed quantum ad actum matrimonii,  
est distinguendum, quia aut spiritualis cogna-  
tio inducitur causa necessitatis, sicut cum Pa-  
ter baptizat Filium in articulo mortis, &  
tunc non impedit actum matrimonii ex neutra  
parte: aut inducitur extra casum necessitatis  
ex ignorantia; & tunc si ille ex cuius actu  
inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem  
ratio sicut de primo: aut ex industria extra  
casum necessitatis; & tunc ille ex cuius actu  
inducitur, amittit jus petendi debitum; sed  
tamen debet reddere, si petatur, quia ex cul-  
pa ejus non debet aliquod incommodum alius  
reportare.

Quaest. 8. Contrahitur ne aliqua spiritualis  
cognatio, cum baptizato jam puero, supplen-  
tur tantum ceremoniae Baptismi?

Resp. Minimè: Sicut cognatio carnalis, ait



*De Sacram. Baptismi. Cap. VIII. 107*

Divus Thomas, non contrahitur nisi per actum generationis completum; unde etiam affinitas non contrahitur, nisi facta commixtione seminum, ex qua potest sequi generatio carnalis: Spirituales autem generatio non perficitur nisi per aliquod Sacramentum: unde non videtur conveniens, quod spiritualis cognatio contrahatur nisi per aliquod Sacramentum.

D. Tho. in  
suppl. 3. p. 93.  
§ 6. art. 2.  
in corp.

Cum igitur non conferatur Sacramentum cum suppleatur tantum ceremonie Baptismi, consequens est, quod nulla tunc contrahitur cognatio. Et valde convenit ut Parochi id dicant susceptoribus, cum dictae ceremonie tantum suppleatur, ne in hoc decipiantur.

